



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

130. De Virgine Qvadam Nicomediensi, quæ admirando & inaudito consilio  
& prudentia pudicitiam suam contra hominem impudentem, cui tradita  
fuit, seruavit, vt recitat Nicephorus I. lib. 7. cap. 13.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

non speraremus æternam, nec ita fecissem ad  
modicum, atq; temporaliter gloriarer, & in-  
gratus existerem, qui fidem suam mihi con-  
tulit creditori.

*Victorinus erat clarus Carthaginis vrbis  
Proconsul, charus vir pietate Deo.*

*Obtulit huic ingens donum regisq; fauorem  
Praefectus, verum si neget ipse Deum.*

*Cui pius intrepidè respondit, talia vestro  
Regi de nostro nomine verba refer:*

*Ignibus exuret, Pardis obtrudat, & omni  
Me cruciet pœna supplicioq; licet:*

*Non tamen ipse nego, cuius sum nomine mersus  
Fonte sacro, verum, seu tyranne, Deum.*

*Hæc est vita mihi melior promissa perennis,  
Hæc viuam lætus spe moriarq; Deo.*

130. DE VIRGINE QVADAM  
Nicomediensi, quæ admirando & inau-  
dito consilio & prudentia pudicitiam  
suam contra hominem impuden-  
tem, cui tradita fuit, seruauit,  
vt recitat Nicephorus

Lib. 7. cap. 13.

*Christicolæ seui quondam sine fine tyranni  
Gaudebant seuis excruciare modis.*

*Hos gladijs feriunt, illos sub flumine mergunt,  
Excoriant illos, hos laqueisq; necant.*

Hos

Hos prædam Pardis, sauisq; leonibus illos  
Proijciunt, saxis præcipitantq; cauis.

Ignibus exurunt, his duri brachia frangunt,  
Distrabit his arbos membra reducta pijs.

Suffocat fumus quosdam, craticula torret,  
His scapulis bullit pixq; oleumq; ferum.

Hi matres ducunt sanctas castasq; puellas  
Per plateas nudas, prostituuntq; pias.

Has inter quædam tutata est virgo pudicum  
Consilio hoc sapiens, virgineumq; decus.

Euphrasia nomen clarebat in vrbe puella,  
Corporis & præstans forma decusq; fuit.

Hæc est visa Deum venerari nomine Gnati,  
Detestans Stygij numina vana ducis.

Ergo homini abreptam tradunt, qui ludat, & ipsi  
Virgineum violet contaminetq; decus.

Obuius huic venit, cum ducitur, Anthimus vrbis  
Præsul, quem verbis talibus alloquitur:

Dic mihi quid faciã præsul, moriar ne reluctans,  
An viuam, patiens turpia facta viri?

Inter ego mala duco duo minus esse ferendum,  
Antistes dixit virgo pudica, tibi.

Sic Dominus iussit, tunicam si tollit iniquus,  
Ut corpus redimas pallia mitte simul.

Sic vitam ut serues corpus permitte nephando,  
Qui trahit inuitam turpia ad acta, viro.

Non maculas corpus, qua non fers turpia sponte,  
Cum casta in Domino mensq; fidesq; manet.

Matth. 5.

Consilio audito partem fluctabat in omnem,  
 Quid faciat dubitans casta puella diu.  
 Post animo voluit saluum quo seruet vtrunq,  
 Et mentem & corpus non violata Deo.  
 Conclauis iuuenis clausam cum detinet, artis  
 Hac magicæ fingit dogmata nota sibi.  
 Hanc artem tradam dixit, qua ledere possint  
 In bellis corpus spicula nulla tuum.  
 Si decus illa sum linquis mihi virginis, atq,  
 Dimittis patrios me remeare lares,  
 Arte noua captus iuuenis, sis optima dixit,  
 Hac voti campos conditione tui.  
 Artis, ait, iuuenis si vis facere ipse periculum,  
 Huius ego certa iam documenta dabo.  
 Ille ubi se cupidum miranda diceret artis,  
 Hac ludit techna præstigij q, nouis.  
 Namq, oleo massam ceræ permiscet ad ignem,  
 Et manibus subigit, tractat agit q, leuem.  
 Illinit hac collum sibi circum fragmina ceræ,  
 Ceu solet insecti torquis adunca gula.  
 Viribus hinc iugulum sibi quantis possit, adacto  
 Contectam ceræ verberet ense iubet.  
 Corpore sic artis quæ vis sit, quanta potestas  
 In nostro, discas experimenta tibi.  
 Fortiter hinc iuuenis palmis vtriusq, reductis,  
 Virgineum stricto præcidit ense caput.  
 Euphrasia intactum corpus mentemq, reseruans,  
 Sic petijt Christi cœlica regna sui.

Historia